This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

De Miraculis in Eccleſiâ Chriſtianâ.

CONCIO

AD

Academiam Oxoniensem,

PRO GRADU

Baccalaureatus in S. Theologia,

HABITA

In Eccleſiâ B. MARIÆ,

Junii IX. A. D. M. DCC. XLVIII.

A JACOBO IBBETSON, *S. T. B.* Coll. *Exon.* Socio; & Reverendo admodùm Epiſcopo *Lincolnienſi* à Sacris.

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impenſis JACOBI FLETCHER, Bibliopol.
Proſtant apud J. & J. RIVINGTON, Londoni.
MDCCXLVIII.

1. a. 146.

Imprimatur,

J. PURNELL,

Vice-Can. *Oxon.*

Jun. 13. 1748.

Luc. XVII. 20.

—Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως.

—Non venit Regnum Dei ita ut obſervari poſſit.

Evangelium, ſive Regnum Dei, aptiſſimâ repræſentatione *Lucis* [a] exhibetur; quippe quæ mirâ cum celeritate quaquaverſum ſe diffundit. *Sicut fulgur coruſcans ex unâ regione quæ ſub cœlo eſt, in alteram quæ ſub cœlo eſt, ſplendet* [b], ita nos viſitavit Vir Oriens [c] ex alto, *ut appareat iis, qui in tenebris & umbrâ mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis* [d]. Mirum ſanè Chriſtianæ Fidei incrementum apud Iſaiam, Prophetam Evangelicum, ſublimi more depingitur: *Minimus erit in mille, & parvulus in Gentem fortiſſimam; Ego Dominus in tempore ejus* (ſcilicet Meſſiæ) *ſubito iſtud faciam* [e]. Hæc ſignificantiùs multò Hebraicè

a Luc. II. 32. 2 Cor. IV. 4. b Luc. XVII. 24. c Zech. VI. 12. Luc. I. 78. d Luc. I. 78, 79. e Iſ. LX. 22.

efferuntur ; הקטן יהיה לאלף והצעיר לגוי עצום אני יהוה בעתה אחישנה : Fuſiùs autem parabolicè idem prædixit Chriſtus ; *Ita eſt regnum Dei, ut ſi quiſpiam jaciat ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die ; & ſemen germinet & increſcat, quomodo ipſe neſcit* [a]. Atque alibi — [b] *Cui ſimile eſt Regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud ? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam ; & volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* — Curſus tamen naturæ certus eſt, & via una, eaque ſimplex ; ſuaque cuique parti vegetationis tempeſtivitas eſt data. Similitudine adeò eorum omnium quæ generantur è terrâ, quæ ex tantulis granis, ac minutiſſimis ſeminibus, tantos truncos ramoſque procreat, quantùm ex quam parvis initiis invaleſceret Religio Catholica, adumbravit Chriſtus ; mirabilem planè diffuſionem in omnes gentes *fermento* meliùs aſſimilavit [c], *quod acceptum mulier condidit in farinæ ſatis tribus, uſquequò fermentaretur tota.* Ita crevit & invaluit Regnum Dei, ut *Obſervationem* omnium tantum Opus evaderet.

Subitam hanc Evangelii propagationem ex cauſis naturalibus ſolvi poſſe, licèt nunquam

---

a Marc. IV. 26, 27. b Luc. XIII. 18, 19. c Luc. XIII. 21.

defuêre

defuêre qui aſſeruerint, nemo unquam ſanus aſſeruit. Duodecim ecce! Apoſtoli, ex latebris & ſordibus vitæ; quibus neque genus, neque ingenium; neque fama, neque fortuna. Quæ in oratore videmus divina & egregia, in illis nulla erant; neque verbis vis, aut elegantia; neque ſententiis acumen, aut ubertas. Hi Jeſum & Reſurrectionem prædicant; eundem Jeſum, qui modò in cruce expiravit, Verum eſſe Deum, Beatum in æternum. Hi Diſciplinam Novam commendant, pravis hominum cupiditatibus, opinionibuſque præjudicatis repugnantem, & ſuperſtitioſis ritibus atque cæremoniis planè abhorrentem. Hoc conſilio diſcedunt ab Hieroſolymâ: ubique gentium evangelizantur: nec mora, Judæi atque Ethnici Religionem novam amplectuntur.

Quænam igitur fuit ratio inter cauſam & effectum? Inter opus & operatores? Deum intereſſe abundè conſtaret, etiamſi Actorum Apoſtolicorum Liber nuſquam reperiretur, ſive de largâ effuſione Spiritûs Sancti die Pentecoſtes, & de Miraculis quæ divinam iſtam Unctionem ſequebantur, Scriptores Sacri prorſùs ſilerent. Tam verum eſt de omnibus Apoſtolis, quod modò Adverſariis conceſſerat Beatus Paulus, modò in ſui Miniſterii laudem retorquet, *Prædicationem ſuam humanitùs quidem humilem*

humilem & abjectam, in demonſtratione tamen Spiritûs & Potentiæ Dei [a].

Quòd ſi audire voletis externa, cùm complector animo, quatuor potiſſimùm reperio res, quarum ope diſciplina aliqua nova atque inaudita, per ſe indigens, vigere poſſit atque ad maturitatem uſque perduci: Unam, ſi ſit naturæ apta, & conveniens ad utilitates hominum: alteram, ſi ſit præſidio tecta Legum, vel Auctoritate Publicâ munita: tertiam, ſi temporibus ignorantiæ & credulitatis ſit introducta: quartam, ſi ita obſcurè proponatur, ut qualis ſit, non facilè judicetur. Earum, ſi placeat, cauſarum quantum quæque valuit ad Chriſtianam Religionem propagandam, videamus.

Ex divino fonte ſapientiæ, non ex hominum ſenſu, deprompta diſciplina Crucis. Num ullam cogitationem habuerunt ii, qui Fidem noſtram tam mirabilitèr fundatam nobis demiſerunt, aut ad avaritiam, aut ad delicias, aut ad honores? Ponite ante oculos unumquemque eorum, ipſumque Auctorem Fidei; nonne omnem humanarum rerum amorem protinus abjicietis? — Quamdiu etiam non modo imbecilla atque omni auxilio deſtituta,

---

a Cor. II. 4.

(is

(is enim locus alter eſt de cauſis propagationis) ſed periculoſis & lubricis in locis verſabatur Religio Chriſtiana? *Ecce Ego mitto Vos*, (dixit Chriſtus Apoſtolis) *ſicut oves in medio luporum* [a]. Hi tamen ſtrenui invictique milites, armis ſpiritualibus induti, ob charitatem Dei, & in rotam aſcendere, & torqueri, & uri, & quodvis cruciatûs genus ſubire, parati. — Sequitur tertia propagationis cauſa, quòd temporibus ignorantiæ & credulitatis dicunt introductam eſſe. Jam ſumma Imperii ad Populum Romanum pervenerat, neque particeps dominationis fuit uſquam. Non belli tantummodo, ſed pacis quoque artium notitia in omnibus regionibus pervulgata. O præclarum tempus, quando Ipſe Auctor Veritatis, Deus, in terris commoratus eſt: pacatoque orbe, Veritatem inveſtigare hominibus vacavit: neque Domini terrarum tam rudes atque illiterati, ut de Religione novâ judicium facere nequirent, neque ita vitiis & ſocordiæ dediti, ut nollent. — Nihil hîc conſilii, neque loci, (hæc autem quarta cauſa eſt) mentes hominum ſubdolè aucupari. Planè omnia & apertè dicta: neque minutatim, ſed uno quaſi intuitu, Diſciplina nova, nullâ diſſimulatione, hominum judiciis permittebatur.

---

a Matt. X. 16.

Hæc

Hæc quidem brevitèr aſtrinxi, quia notiora. Ad alia deſcendamus. Impietates multas, & ſuperſtitioſas res poſt tempora Apoſtolorum fuiſſe, quæ nomen Dei contaminarent, & captas mentes hominum, veluti furialibus ſtimulis, ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agerent, certum habetis. Puritati Chriſtianæ Religionis tam alienæ & repugnantes, nequaquam cum illâ diu conſiſtere potuerunt. Neque protinùs ſubverſum omne Diaboli imperium, munitioneſque dirutæ. In Infantiâ Eccleſiæ frequentiores, qui Dæmonibus vexabantur; (hoc forſan conſilio, ut manifeſtaretur, Spiritum Chriſti Adverſarium aliquando ſuperaturum) & quod omni obſervatione dignum, [a] Oracula cæteraque Superſtitionis figmenta gradatim, & quaſi pedetentim migrantia, non illicò ceſſabant.

Quiſnam igitur eſt, qui rationes has nullo modo improbabiles aut leves animadvertat, & credat tamen, Auxilia Spiritûs divinitùs miſſa, Poteſtates præſertim miracula præſtandi poſt ætatem Apoſtolicam omninò abſtractas eſſe? quæ quidem multò diutiùs, ut videtur, ad Chriſtianam Fidem ſtabiliendam & propagandam, in ſinguliſque Eccleſiis adminiſtrandis, erant perquam neceſſariæ.

a Vide Plutarchi Tractatum de Oraculorum defectu.

Jam

Jam alia adjicere lubet, quæ firmiora: & ut totum hoc Argumentum ordine quodam explicetur, & quod mihi in hâc re veriſimile videtur, altiùs exponam; diſpiciendum eſt,

Primò, Quinam ſint Textus in S. Scripturis, qui ad Quæſtionem hanc attinent, de Poteſtatibus præſtandi Miracula in Eccleſiâ Chriſtianâ; & quid ex iis colligi poſſit:

Deindè, Quamdiu Divinæ iſtæ Poteſtates Fidelibus affuerunt:

Poſtremò, Eorum Sententiæ de ceſſatione miraculorum in Eccleſiâ Chriſtianâ, qui utrobique a veritate longiùs aberrant, diſcutiendæ.

I. Hoc igitur, Primò, fixum ratumque ſit, quòd temerè affirmetur, divinas Apoſtolorum poteſtates, illas præſertim quarum ope tot Miracula edebantur, ex conſilio ſive expreſsâ inſtitutione Dei, mortuis Apoſtolis penitus ceſſâſſe; unde Quidam [a] voluit demonſtrare *à priori*, poſt Illorum ætatem nulla unquam miracula extitiſſe. Audite autem verba Chriſti apud Matthæum [b], quibus tota argumenti vis, ſi ſit ulla, nititur. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ

a Four Queries, concerning the Miracles ſaid to have been wrought in the firſt Ages of the Church &c. b Cap. XXVIII. 18, 19, 20.

τῷ ἁγίῳ πνεύματος· διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν· καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Ἀμήν. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ. Profecti ergo inſtituite omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi. Amen.* Fuſiùs autem Evangeliſta Marcus [a]. Πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας, κατακριθήσεται. Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει. ἐν τῷ ὀνόματι μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς· ὄφεις ἀροῦσι· κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει· ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, καὶ καλῶς ἕξουσιν. *Profecti in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* [b] Notatur hìc, utrumque Evangeliſtam eandem deſignationem Apo-

a Cap. XVI. 15, 16, 17, 18. b Four Queries &c. p. 7.

ſtolorum

ſtolorum exponere, atque alterum alterius narrationem, quà deficit, adimplere; ideoque promiſſionem iſtam apud Matthæum, "ἰδὲ, Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος", reſpicere tam ad poteſtatem edendi miracula apud Marcum, quàm ad prædicationem Evangelii apud Matthæum. Concedemus, & eodem jure rem aliam omni modo probabilem arripere liceat; ſcilicet, promiſſionem eandem non tantùm ad Apoſtolos, ſed ad Fideles etiam pertinere; quippe ſcribit Marcus, "Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι παρακολουθήσει". Hoc interpretamentum res ipſa comprobavit. Septuaginta enim Diſcipuli, licèt non plenis utebantur poteſtatibus, invocato Chriſti nomine, multa & præclara edebant. Notatu digna ſunt, quæ enunciat Lucas Evangeliſta [a]; ὑπέστρεψαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα μετὰ χαρᾶς, λέγοντες· Κύριε, καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου· εἶπε δὲ αὐτοῖς· Ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. *Reverſi ſunt autem Septuaginta cum gaudio, dicentes: Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis, videbam Satanam, ſicut fulgur, de cœlo cadentem.* Denique abundat hiſtoria Apoſtolorum divinis Spiritûs Sancti donis, quæ per manus ſuas ſingulis ferè Fidelibus collata.

a Cap. X. 17.

Nullus hic altercandi locus, de vi aut ſignificatione vocis "αἰὼν"; quippe ſi ad æram Apoſtolicam promiſſio iſta Chriſti Præſentiæ apud Matthæum, Apoſtolis data, limitetur, quomodo tamen Fidelibus, ad quos altera promiſſionis pars apud Marcum ſpeciatim pertinet, ſcilicet *ſigna ſecutura eos qui crediderint*, neceſſaria Spiritûs Sancti auxilia, ſive poteſtates edendi miracula præcludet?

Libenter quidem concedimus, phraſin iſtam "πάσας τὰς ἡμέρας" ſignificare tantùm "continue"; *ego vobiſcum ſum continuè*; alterâ autem "ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος", finem & conſummationem rerum omnium inſigniri paſſim apud Sacros Scriptores, neque aliam ſignificationem poni debere, aut rationibus unquam poſſe confici, prorſus mihi perſuadeo. Eo ſenſu, (quem tamen, ut diximus, nihil attinet excutere) ter occurrit apud Matthæum in eodem [a] capite; ubi, ſi uſquam in S. Scripturis, ſuppliciorum mentio eſt, quæ ad æternitatem pertinent, quæque in maleficos ac ſceleratos altero ſæculo exercebit Deus.

Quòd ſi rem ipſam animis complectamur, quaſcunque excogitamus rationes, quare ætate Apoſtolicâ poteſtates divinæ etiam edendi mira-

[a] Cap. XIII. 39. 40. 49.

cula

cula neceſſariæ fuerunt, eædem ferè occurrent, quare concluderemus, etiam mortuis Apoſtolis, ad novam Religionem ſtabiliendam, fuiſſe perindè neceſſarias.

Argumento huic, non obſcuro quidem & per ſe bene firmo, annuere videntur iſta Chriſti apud Johannem [a]: Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, καὶ μείζονα τούτων ποιήσει. *Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora iis faciet.* Conſtat enim omni Grammaticâ ratione, quòd "ὁ πιστεύων" minimè ad Apoſtolos, aut Diſcipulos qui jam antea credidiſſent, arctari debeat.

Utcunque de his ſtatuendum ſit, [b] *dixit* tamen *ipſe* Dominus, *non te deſeram, neque te derelinquam. Adeò ut confidenti animo dicamus, Dominus mihi adjutor; nec timebo quid faciat mihi homo.* Meminerimus etiam iſtius Chriſti promiſſionis [c], quod *portæ Inferorum nunquam prævalebunt adverſus Eccleſiam.* Spes hinc omni dubitatione major, confidentia etiam ergaDeum, pro re natâ atque exigentiâ Eccleſiæ, Divinam opem nunquam fidelibus defuturam. Et quid promiſſione illâ fortius excogitari potuit, ad furores hoſtium reprimendos, aut ad animos verè Chriſtiano-

a Cap. XIV. 12. b Heb. XIII. 5, 6, 7. c Mat. XVI. 18.

rum

rum erigendos, & fidem confirmandam? Ad periculoſiſſimum igitur Eccleſiæ ſuæ ſtatum animum præcipuè intendit Chriſtus, quando illam pollicitus eſt ab omni vi & conſilio Inferorum tutam præſtare. Quænam autem res Deo vindice digniores, quàm ſtatim poſt tempora Apoſtolorum? Cùm omnem ſuppliciorum crudelitatem Adverſarii minarentur, & ſceleratorum furor in fideles eſſet incitatus; cùm inſidiæ & fraudes undique pararentur, & graviſſima cruciamenta excogitarentur; cùm ignis arderet, acuerentur gladii, crux figeretur, ſovea, rota, flagella, tormenta omnia expedirentur; eaque omnium ubicunque Chriſtianorum ſors, periculis ſemper proximos eſſe, tanquam in procinctu atque in acie ſtare.

II. Ita ſenſim, veracitate ſubnixi *Auctoris & Perfectoris Fidei noſtræ*, Qui promiſit & non fefellit, eò pervenimus, ut porro paucis expediamus, quamdiu divinæ poteſtates, eæ præſertim quibus miracula edebantur, fidelibus affuerunt.

Num igitur hæc omnia, mortuis Apoſtolis, confeſtim ceſſabant? Num credibile eſt ex Apoſtolis omnino dependiſſe, ut dum ipſi viverent, nullam paterentur diminutionem, cùm morerentur, ſubitò omnia evaneſcerent? Nullane reſtabant ſuperanda, aut tam benè ac feliciter

citèr omnia Eccleſiæ ceſſerant, ut nè neceſſariæ quidem eſſent divinæ hæ facultates poſt tempora Apoſtolorum? Perverſa & præjudicata malitia Judæorum pœne eadem; Ethnicorum indignatio major; neque Religio nova ſtabilis ita, ut inimicis poſſet reſiſtere; animoſioribus quidem, ſi miracula ceſsâſſent, unde fideles ſpem multam & παῤῥησίαν arripuerunt.

Mortuis quidem Apoſtolis, Syſtema Fidei omnibus numeris abſolutum, quaſi ſigillo, muniebatur. Ad majorem confirmationem Veritatis miracula nequaquam neceſſaria; perquàm utilia autem, imò dicam neceſſaria [a], ad propagationem Religionis novæ, & ad animos eorum in Fide verâ ſtabiliendos, qui Chriſti nomen profiterentur. Neque difficile eſt ipſum tempus definire, quamdiu hæc Eccleſiæ convenerint, & contigerint; ſcilicet, donec præſidio tecta fuerit Legum atque Imperatoriæ Auctoritatis.

Qui ſuſpicaretur præcepta, & hortationes, atque argumenta animos hominum, injuriarum non ſatis patientes, ita temperare, ut, iis quaſi adminiculis fulti, in officio ſtare poſſint, nec quid naturæ convenit, nec quid religio poſtulat, perſpicere videtur. Cùm ab iniquis Prin-

a Vide Four Queries &c. p. 28, 29.

cipibus,

cipibus, moribus perditiſſimis, totâque vitæ ratione ab omni virtute alienis, premeretur atque affligeretur Eccleſia; cùm mala multa perpeſſæ, plura adhuc impenderent; quàm arduum ſanè graviſſimumque præceptionis genus, niſi Deum vindicem ſigna mirabilia monſtrâſſent, injuſtiſſimis etiam atque improbiſſimis Magiſtratibus obtemperare? Qui Auctoritatem legitimam illegitimè exercuerunt, quique a Deo conſtituti *ad Bonum*, ad Dei tamen voluntatem ſe neutiquam accommodârunt.

Hâc itaque in causâ, de Obedientiâ & Subjectione erga Poteſtates ſublimiores, aptè admodum & cum dignitate [a] Pauli, [b] Petrique, verſabatur Oratio. Ecquod dicendi argumentum auribus Chriſtianis, tum temporis, ingratius; quod tamen cum majori Eccleſiæ emolumento tractari poſſet? Et quid eâdem Auctoritate atque omni divinâ ope dignius, quàm poſt ætatem Apoſtolorum eadem fidelibus adhibere conſilia, eadem in mandatis dare, quibus freti atque ſuffulti, non repugnantes, nè recuſantes quidem, inimicorum graviſſimas injurias poſſent perpeti? Diſciplinam denique Ethnicorum ſceleratam atque impiam, Judicumque vitia ſine metu coràm reprehendere, acerbè

a Rom. XIII. 1. b 1 Pet. II. 13.

etiam

etiam & contumeliosè ipſos compellare, & eâdem ferè vehementiâ, quâ Paulus repletus Spiritu Sancto [a] dixit Elymæ, *O pleni omni dolo & nequitiâ, filii Diaboli, inimici omnis juſtitiæ, non ceſſabitis invertere vias Domini rectas?* Tot undique iſtis temporibus exortæ ſunt Hæreſes, tam ſtudiosè Fidem Diſciplinamque Chriſti contaminabant impii, & tot tantæque miſeriæ ab iis perferendæ, qui Religionem novam auſi ſunt profiteri, ut planè extirparetur omnino, niſi ſigna mirabilia divinitùs eſſe inſtitutam demonſtraſſent.

Eâdem ferè rationum firmitate nixi, quibus primævæ Eccleſiæ commendatiſſimus, Vir pietate & ſanctimoniâ præcellens, oppugnatores miraculorum Apoſtolicorum redarguit, nonnulla etiam poſt tempora Apoſtolorum miracula præſtita eſſe, non temerè affirmamus; Πῶς, εἰ μὴ σημεῖα ἐποίουν, ἔπειθον; εἰ μὲν ἐποίουν, θεὸς δύναμις ἦν· εἰ δὲ μὴ ἐποίουν, καὶ ἐκρᾶτουν, πολὺ θαυμαστότερον ἦν τὸ συμβάν [b]. — Ὅταν λέγωσι μὴ γενέσθαι σημεῖα, μειζόνως ἑαυτὸς ἐξεπείρασι [c].

Commentitiis quidem rebus, piæque fraudis figmentis, neutiquam fides adhibenda ſit. Nihil autem hìc loci eſt, Patrum primævorum teſtimonia in dubium vocare de re adeò non in-

a Act. XIII. 10. b Chryſoſt. in 1 Cor. I. c Id. in Act. I.

credibili, ut etiam verisimilis & fide omni digna videatur: testimonia etiam neque fatuorum, neque nebulonum; ad hominum memoriam sensusque, de miraculis post ætatem Apostolicam in Ecclesiâ editis, tanquam de rebus notissimis provocantium; & quidem coram Judicibus, quibus non, uti [a] Gallioni, *nihil eorum quicquam curæ erat*, sed qui infensi fidelibus, mendaciorum reos, aut vera etiam in Apologiis audacter exhibentes, suppliciis & morte multarent. Num quis ergo negaverit, tali quodam auxilio & potestate post ætatem Apostolicam fideles indiguisse, quali ipsi Apostoli utebantur? quali autem Ecclesia, ex quo per Constantinum & sequentes Imperatores effectum est, ut Christiana Professio non tuta tantùm, sed & honorata esset, non itidem indigebat.

Eâdem enim argumentatione, quâ constat miracula quædam diu extitisse pro re natâ atque exigentiâ Ecclesiæ, constabit etiam omninò cessaviſse, postquam Religioni Christianæ præsidio tectæ legum atque Imperatoriæ Auctoritatis, vires indies suppetebant. Ita necessitas Ecclesiæ certissima semper Miraculorum mensura.

Neque mirum tamen, tam [b] varias esse

---

a Act. XVIII. 12. 17. b Introductory Discourse to a larger Work &c. p. 8, 9, 10, 11. Remarks on two Pamphlets &c. p. 38.

&

& diſcrepantes ſententias de miraculis, quæ in quarto ſæculo præſtita eſſe perhibentur. Nonnulla enim in antecedentibus ſæculis ficta miracula extitiſſe, quæ ſuperſtitionem vulgi alerent & foverent, nemo negaverit qui ſeriò animadvertat, quâ fiduciâ, quâ temeritate dicam, quarti ſæculi Scriptores incredibilia plurima & planè falſa memoraverunt; quâ porro credulitate, & ſuperſtitione avidâ, eadem vulgo recepta. Neque veriſimile eſt, divinas poteſtates miraculorum, poſt Converſionem Romani Imperii, ubique uno eodemque tempore ſubſtractas; ſed gradatim, prout Legum & Libertatis fructus percipiebantur; quippe non repentè inveterata extingui odia, aut amicitiæ naſci ſolent. Ad ſimilitudinem porrò & exemplar verorum, ſenſim jam decreſcentium & in deſuetudinem abeuntium, ficta plurima in eorum locum ſubiiſſe, temporibus iſtis maximè conſentaneum. Divinis tamen operibus facilè diſtinguenda, ſi occaſiones atque inſtrumenta ſpectemus. Occaſiones dico, atque Inſtrumenta: quoniam temporibus, quæ Converſionem Romani Imperii continuò ſubſecuta, per Reliquias, vel per ſignum Crucis, vel per Olei unctionem, miracula pleraque præſtita eſſe memorantur; hâc proculdubiò ſpe atque conſilio, ut Inſtrumenta hæc in ſanandis morbis,

cæteriſque piis muneribus adhibita, occaſione hinc arreptâ, in Ritus aut Inſtitutiones ſacras, Cæremoniaſque Eccleſiæ reciperentur, diviniſque etiam honoribus digna cenſerent ſuperſtitioſum vulgus. Et ſi concederemus, quod nequaquam concedimus, eadem hæc Inſtrumenta, ab ætate uſque Apoſtolicâ, in veris miraculis præſtandis adhiberi, nihil hìc jactitent Romanenſes de ſuperſtitionis figmentorum uſu licito; temerè enim de Veneratione Reliquiarum & Crucis, atque Invocatione Sanctorum affirmatur, multo magis de Adoratione, cæteriſque veræ Religionis corruptelis, quòd ſint quarto ſæculo vetuſtiores [a]. Diſcutiendæ ſunt poſtremò,

III. Eorum ſententiæ de ceſſatione miraculorum in Eccleſiâ Chriſtianâ, qui utrobique a veritate longiùs videntur aberrare.

Et profectò ſuperſtitioſâ nimis ſollicitudine id [b] cavetur, nè ſi concedatur miracula quædam præſtita eſſe poſt ætatem Apoſtolicam, eodem argumento cogeremur concedere, vera eſſe omnia quæ perhibentur, tam inſequentibus, quàm antecedentibus ſæculis, nè exceptis quidem hodiernis Romanenſium.

a Vide View of the Controverſy concerning miraculous powers &c. p. 9. b Introd. Diſc. p. 31---36. 44. Remarks on two Pamphlets, p. 37---42.

Ex

Ex indubitatis miraculis Chriſti & Apoſtolorum certiſſimæ quædam notæ elici poſſunt, quibus vera falſis facilè diſtinguuntur. prima, ſi ſint extra communem naturæ ordinem: ſecunda, ſi palam geſta ſint, atque inſpectante populo, ita ut doli & præſtigiarum nulla ſit ſuſpicio: tertia, ſi doctrina, cujus ad commendationem miracula afferuntur, ſit Deo digna. Harum igitur ope, quibus Religionem veram diſcernimus, miraculorum etiam nequitiam arguere poſſimus, quæ multis dehinc ſæculis, ſuperſtitioſis magis decora fabulis, quàm fidelibus rerum geſtarum monumentis traduntur. Ita mille Romanenſium de Oſſibus & Reliquiis Apoſtolorum, Martyrumque, & præſertim prodigioſum iſtud de Tranſubſtantiatione Elementorum in Euchariſtiâ, in promptu eſt refellere. Improbi adeò hi atque inepti omnes, qui falſa veris, humana divinis miſcent unquam, ut Eccleſiam auguſtiorem reddant, paucis dimittendi; *ſi hæc facitis, patefacite voſmetipſos mundo*[a].

Quid igitur, (pace dixerim Anonymi, non ignoti; Hominis ingenio præſtanti & eruditione perfectâ) ad Proteſtantiſmi cauſam attinet, Patrum primævorum (meliorum ſanè, quo

---

a Joh. VII. 4.

Apoſtolicis

Apoſtolicis propiores erant temporibus) fidem in dubium vocare? qui traditione continuâ Apoſtolorum ſaltem miracula deduxerunt; & ad quos provocatione factâ Reformatoribus noſtris, Pontificiorum plurimos errores, quoad fidem & praxin Eccleſiæ Chriſtianæ, oppugnatos vidimus, & profligatos.

Audite jam doctiſſimum [a] Defenſorem miraculorum, quæ in Eccleſiâ Chriſtianâ facta eſſe perhibentur poſt tempora Apoſtolorum. "Mirari ſatis nòn poſſum (inquit) eſſe quemquam, "qui ſibi perſuadeat, inter credibilitatem miraculorum, quæ à primævis Scriptoribus Eccleſiaſticis memorantur, eorumque quæ comparent in Hiſtoriâ Evangelicâ, diſcrimen eſſe "maximum, quod ipſe ego video planè eſſe "nullum. Vellem equidem iſti homines, qui "noſtræ cauſæ adverſantur, perfeciſſent tandem, quod ſe perfeciſſe jactant, miracula "Chriſti, ejuſque Apoſtolorum, majori nobis "commendari fide atque auctoritate, quàm "miracula iſtorum Patrum primævorum, quos "antea memoravimus." Libenter quidem multis annuimus, quæ ad rem benè [b] arguuntur de miraculorum naturâ poſt ætatem Apoſtolicam

a Defenſio miraculorum &c. Auctore Z. Brooke A. M. Coll. D. Johannis Socio. Cantabrigiæ 1748. b Vide Defenſ. Miraculorum &c. paſſim.

præſtitorum,

præſtitorum, de uſu & neceſſitate eorundem, de integritate hominum qui ea patraverint, & qui literis mandaverint; de rerum autem ſcriptarum authenticitate non ita conſtat. Hoc dixerim ſalvâ omni hiſtoricâ fide, ſalvâ etiam famâ atque exiſtimatione Patrum primævorum. Unde enim innoteſcit, Libros Novi Fæderis, de quibus dubitatum inter Chriſtianos non eſt, quique certum nomen præferunt, ejus eſſe Scriptoris, cujus titulo inſigniuntur? Quia ſcilicet Primi illi, putà Juſtinus, Irenæus, Clemens, ac deinceps alii, ſub his ipſis nominibus eos libros laudant, omneſque Eccleſiæ pro talibus receperunt; ne contradicentibus quidem Chriſtianæ Fidei inimiciſſimis, Infidelibus, Hæreticis, Judæis, ſive Ethnicis.

Siquando igitur de S. Scripturæ Canone, ſive de Diſciplinâ primævâ, aut Praxi Catholicâ, quæſtio aliqua ſuboriatur, ad Antiquitatis ſententiam, ad Eccleſiæ conſentientis judicium & teſtimonium provocamus. Huic adeò judicio & teſtimonio libenter conceditur, quoniam a teſtibus idoneis, eorumque pleno omnium conſenſu proficiſcitur. Quippe quæ perfectis Inductionibus contingit argumentationis vis, eadem Hiſtoricis ex multis teſtibus integris & ſufficientibus fides derivatur. Quomodò igitur quiſnam ſibi perſuadeat, miracula quæ a Patribus

bus primævis memorata ſunt, ab iiſdem etiam plerumque geſta, eâdem auctoritate inniti, quæ miracula Apoſtolorum ab Evangeliſtis tradita, & ab iiſdem Patribus continuò deducta, eorumque omnium teſtimoniis fidelibus munita, exiſtimationi & reverentiæ hominum commendat?

Meminerint ſanè, qui Eccleſiæ primævæ Scriptores, præclara illa fidei & pietatis exempla, debito cum honore reverentur, forſan tamen nimio cum animi ardore ſuſpiciunt; meminerint, inquam, quod in Reformatione noſtrâ primum & palmarium eſt, ſcilicet in S. Scripturis contineri omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria. Profeſſionis Chriſtianæ causâ maximè volumus, quæ ad Fidem noſtram quovis modo confirmandam excogitari poſſint, ea acutè rimari, ea acri mente atque omni argumentationis vi perſequi; nobis certe religio eſt ea levitèr attingere; quanto graviùs peccant, qui ſigna mirabilia Apoſtolorum omninò prætervolant, miracula autem quæ poſt illorum ætatem in Eccleſiâ viguiſſe Patres primævi teſtantur, tanquam omni fide & obſervantiâ digniora, toto orationis curſu copiosè enarrant? Quorsùm curas & labores tantos in horum exteriorum defenſionem intendunt? Vereor, nè longiùs procedant hi Argumentatores; Vereor, nè totam adhibentes hiſtoricæ fidei

fidei vim ad confirmanda quædam miracula, de quibus diſputatur, invidiam indubitatis conflent, fidemque eorum minuant, quæ ab Apoſtolis præſtita eſſe concedunt inimici; ita probationem Chriſtianæ Religionis, quam in animis eſt defendere, reverà impugnare videantur, & fundamentum ejus incauti ſubvertant.

His abſolutis, ſequitur peroratio. Et in hâc re, ſicut in aliis innumeris quæ ad gubernationem Eccleſiæ pertinent, admiranda eſt omnino Dei Providentia: Quæ libros novi Fœderis illibatos conſervavit, ſacrumque hunc Theſaurum ad nos uſque demiſit; adeò ut omni jure miraculis, quæ a Chriſto & Apoſtolis edita ſunt, fide dignis, neque rerum, neque temporum ratio defideret plura. Neque æquum quidem fuerit tam in morali mundo, quàm in naturali, leges univerſo datas temerè excedi, niſi digna incidiſſet cauſa; ut quo tempore verus Dei cultus adversùs circumfuſam impietatem novis ſubindè præſidiis muniendus erat, aut quandò Religio Chriſtiana, ex Dei decreto, per totum orbem ſpargi debuit, ſubitoque & miro modo invaleſcere.

Nec tamen diſſimulavit Deus Populi ſui vitia, ex quo per Conſtantinum & ſequentes Imperatores Profeſſione Chriſtianâ non tutâ tantùm, ſed & honoratâ, redditâ, pietas refrigeſcere,

diſſenſiones efferveſcere cæperunt. Incredibile enim dictu, nulli unquam genti tam latè regnatum fuit, neque tam brevi temporis ſpatio unquam tot regiones, tot regna ſub jugum miſſa, quàm (juſto Dei permiſſu) Diabolico Muhammedis Imperio. Ab illo uſque tempore, res Chriſtiana retrò lapſa: Eccleſiæ *maceriæ deſtruebantur, & vindemiabunt eam omnes, qui prætergreſſi viam. Exterminavit eam aper de ſylvis, & fera agreſtis depaſta eſt eam* [a]. Multi dein Principes aggreſſi ſunt Chriſti Imperium vi reſtaurare; piè quidem, non ita prudentèr; quippe *arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia* [b]. Neque poſtea Miſſionariis unquam miracula aptabantur, multùm licèt bonis omnibus deſiderata, ad Fidem veram propagandam.

Quod verò inſtar omnium eſt fidelibus, Revelationem Divinam, quam Chriſtus & Apoſtoli tot ſignis mirabilibus muniebant, alia ſuppetunt argumenta quæ commendant, ex prædictionibus ipſo eventu mirè confirmatis; ſcilicet, [c] de ſubitâ & mirabili hujus Religionis propagatione; [d] de eâ rejiciendâ a Judæis pleriſque, amplectendâ vorò ab extraneis; [e] de

a Pſ. LXXX. 12, 13. b 2 Cor. X. 4. c Matt. XIII. 33 & ſeq. Luc. X. 18. Joh. XII. 32. d Matt. XXI. 33 & ſeq. XXII. in princ. e Matt. X. 21, 39. XXIII. 34.

ſuppliciis

ſuppliciis graviſſimis ob eam perferendis; [a] de duratione ejus; [b] de ſummis Judæorum calamitatibus & diſperſionibus; [c] de ſectis inter Chriſtianos, *ut probati manifeſti fiant*; [d] de quibuſdam venturis, qui ſe a Deo miſſos mentirentur; de [e] *homine peccati, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; cujus adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, cum omni potentiâ, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Unicuique ferè ſæculo Eccleſiæ quædam recens fidei confirmatio data eſt ex ſucceſſivo eventu prædictionum, quæ miraculorum defectum ſuppleret. Reſtauratio adeò Judæorum, quæ eſt ultima de iis [f] prædictio, atque unica quæ non conſpicitur impleta, probationem hanc omnibus numeris atque partibus abſolutam reddet; quando [g] *plenitudo Gentium introierit, & ita totus Iſrael ſervabitur.*

Multum etiam poſſumus, domi foriſque, ſine ope divinâ miraculorum, præſertim qui in partem Apoſtolici Miniſterii venimus, ut, quod indies precamur, *adveniat Regnum Dei.* Ad Chriſti exemplar unuſquiſque intueatur, & ad id ſe totum componat. Ita vera illa atque ſimplex Pietas, quæ olim inter Chriſtianos graviſſimè vexatos

a Luc. I. 33. Matt. XXVIII. 20. b Matt. XXI. 33 & ſeq. XXIII. 34. XXIV. 20. c 1 Cor. XI. 19. d Joh. V. 43. e 2 Theſſ. II. 3, 4. 9. f Iſ. LIX. 20. g Heb. XI. 25, 26.

oppreſſoſque floruit, Profeſſioni noſtræ erit decori. Ita Eccleſiam Chriſti ædificabimus.

Gratulor ſanè Eccleſiæ Anglicanæ, gratulor Reipublicæ, atque Academiæ, quibus Verbum Dei traditur purum atque incorruptum; quibus omne Pontificiæ Tyrannidis imperium diu detrectatum; quibus multi adſunt Præſidiis validiſſimis, & Ornamentis honeſtiſſimis; quibus denique res omnes incolumes præſtitit, & præſtabit Rex Optimus, Qui, ne ſapientèr conſulta temerè ſint violata, proſpicit. Unâ igitur voce atque animo Illi, Stirpique Ejus Illuſtriſſimæ, fauſta omnia ac felicia precemur; alios etiam admonere ſupereſt, *Poteſtatibus* His, *quæ a Deo ſunt, ſubditos eſſe; in omne bonum opus paratos eſſe.* Hæc audire convenit Pacis Chriſtianæ ſectatores, hæc nuncios Evangelii *prædicare; inſtare tempeſtivè, intempeſtivè* [a]; *exhortari etiam atque arguere cum omni imperio* [b]. Hæc moribus temporibuſque accommodata; hæc Deo placitura; hæc Eccleſiæ, Reipublicæ, Academiæ profutura.

Talem denique univerſis mentem concedat Deus, ut in tempore ſuo numerus Electorum adimpleatur, & feſtinetur Regnum Filii ſui Dilectiſſimi, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui ſit honor & imperium ſempiternum. Amen.

a 2 Tim. IV. 2. b Tit. II. 15.

FINIS.